



1. Boffeck f. Joh. Gottl. diff. de cultu flumi-
 num Lippiae 1740.
 2. Breithaupt f. Joh. Justi diff. Dissertatio de
 incrementis in Obno et in malo, Halle
 3. ——— sentar. III de Körfe, Halle 1710.
 4. Buddici f. Joh. franc. diff. de fragrantia
 Christi jine 1712.
 5. ——— ΗΕΡΙ ΤΗΣ ΑΚΠΙΒΕΙΑΣ in
 vita christiana, jine 1707.
 6. ——— de libertate cogitandi, jine 1715.
 7. Burmanni f. Joh. Eberh. diff. de fide
 Salernitana, Helm. 1682.
 8. Carpzov f. Joh. Bened. diff. de Chuppa
 Hebrorum, 1710.
 9. ——— diff. de religione quietista.
 rum Lippiae 1687.
 10. Carpzov f. Joh. Gottl. diff. de anno Iobie
 secundum descriptinam Hebrei.
 cum Lippiae 1730.

9. Chimaet. Diff. Chor. & diff. de S. Coena, jude 1707.
10. Diff. de persona et libro iobi, jude
11. Diff. de gratuita ¹⁶⁶⁵ iustificatione homi-
niis peccatoris coram Deo, jude 1734.
12. Chladen. Diff. aduersus Lamin.
13. dum britannum vindicans Methodum eam.
gelicorum, in inquirenda veritate celesta,
Wittenb. 1717.
14. Diff. de Israelis in sua religione Con-
stantia, Wittenb. 1717.
15. Diff. de spolio seductorum in fideles
commissio, Wittenb. 1717.
16. Diff. de fide simplici, Wittenb. 1714.
17. Diff. de significatione vocula
Tytto, Wittenb. 1715.
18. Diff. de methodo concionandi Christi
Wittenb. 1724.
19. Diff. de introversione hominis in fe-
tissimum, cum vera tua fanatica, Wittenb.
20. Diff. de sanctis poiretianis non sanctis
Wittenb. 1719.
21. Diff. de persona Christi, Wittenb. 1722.
22. Diff. de promovendis commandis
Ecclésie Lutherana, Wittenb. 1718.
23. ~~Diff.~~ ^{Confessio} ~~Diff.~~ de Ecclésia sub Episc.
copio videtur non vidua, Wittenb. 1720.
24. Christ. Joh. 3.19. Diff. de cultu glori.
la Supremi Muniti ejusque Christo
exhibendo, jude 1723.

- 26 Christiani f. Zav. f. diff. de reprobato
Syncretismo, Lipsia 1656.
- 27 Clauswitz f. Bened. Gottl. f. diff. de analogia
Pentecostes v. et n. t. Halle 1791.
- 28 Conradi f. Christ. Will. f. Acta pauli
Ephesia ante tumultum Panetroy
confederata, 1770.
29. Cotta f. Joh. Fried. diff. de contentione
Eccl. Rom. de attritione, 1734.
- 30 Cramer f. Joh. Fried. diff. qua paulus
in Synedrio verba facientem
testit. Jenae 1735.

Q. D. B. V.
ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΑΚΡΙΒΕΙΑΣ
IN
VITA CHRISTIANA
THESES PRACTICAE
QVAS
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. VVILHELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM,
ANGARIAE, VVESPHALIAEQVE, RELIQUA
PRAESIDE
IO. FRANCISCO BVDDEO
SS. THEOL. D. ET P. P.
ERVDITORVM EXAMINI
AD DIEM MAII. MD CC VII.
SVBMITTIT
SAMVEL RANSLEBEN
BEROLINENSIS.
—
I ENAE
TYPIS MULLERIANIS.



ILLVSTRISSIMO COMITI AC DOMINO
DOMINO,
FRIDERICO CASIMIRO,
COMITI DE LYNAR
DOMINO IN LVBBENAV,
COMITI ET DOMINO SVO CLEMEN-
TISSIMO,
EXERCITATIONEM HANC ACADEMICAM
HVMILLIMA MENTE OFFERT
CVLTOR DEVOTISSIMVS
SAMVEL RANSLEBEN
BEROLINENSIS.



Q. D. B. V.

§. I.

Nter sapientissima PYTHAGORAE effata haec quoque extant:

λεωφόρος μὴ βαδίζειν, per publicam viam ne ambules;
ἐκτὸς λεωφόρος μὴ βαδίζειν,
extra viam publicam ne ingrediaris. Haec prima fronte pugnare inter se videntur; sed iis, quibus mens philosophi praestantissimi, parum est perspecta. Namque hoc sibi vult, in quibusdam receptam aliorum consuetudinem recte sequi virum sapientem, cum in aliis contra, cum honestate quippe & prudentia pugnantibus, ab ea discedat quam longissime.

§. II.

Et ita sece res habet in vita quoque christiana. In iis quae iusta, honesta, laudabili-

¶ (4) ¶

lia sunt, a recepta consuetudine discedere, religio-
ni sibi dicit, cui vera pietas curae cordique est.
Et ita extra viam publicam non ingreditur. At
quae prava sunt, quae turpia, quae alendis fo-
niendisque cupiditatibus foedis destinata, quantu-
muis antiquissima consuetudine firmata, &
praescriptionis titulo corroborata, cane & angue
peius fugit, nec iis vnam se abripi patitur. Et
sic merito suum facit illud Pythagorae: λεωφό-
ρος μη βαδίζειν.

§. III.

Qui ita se gerit, plane hoc agit, quod
Christus seruator noster voluit. *Intrate per an-
gustam portam: nam lata est porta & ampla via,
quae dicit ad interitum: multique sunt, qui per
eam ingrediuntur.* En! viam mundi regiam,
multorumque signatam vestigiis. Hanc, qui sa-
pit, non ingreditur. Singularis contra & diuer-
sa ab ista est *angusta porta, & arcta via*, quam
qui ingrediuntur, licet multis stulti videantur,
ducit tamen ad vitam Matth. VII, 13. Luc. XIII,

14.

§. IV.

Hinc virtutum christianarum inter alias
&

& hanc affectionem constitutere nonnulli solent, quod per eam homo regenitus plane diversus sit ab hominibus huius seculi, iisque dissimilis, dum multa agit, quae hi intermittunt, & intermittit contra, quae impii agere aut pulchrum, aut honorificum, aut iucundum ducunt.

Quam affectionem nonnulli graeca voce ἀκείβεια, latina singularitatem vocant. Ita IOANNES HOORNBEEKIVS, vir doctissimus, theologiae practicae libr. VIII. cap. XI. qui & ipse diligenter hac de re agit, sed ut aliis, qua accuratiorem huius rei inuestigationem, spicilegium haud contemendum reliquerit.

§. V.

Ἀκείβεια diligentiam, summumque studium, significat. Hinc IVLIVS POLLVX haec synonyma iungit: ἐπιμελῶς, ἀκείβως, προγιβώμένως, ἐσκευμένως, περιεσκευμένως; diligenter, sedulo, accurate, considerate, circumspecte. Eadem significatio conspicitur in compositis & deriuatis ἀκείβολογθματ, ἀκείβαζω, ἀκριβεῖς, ἀκείβασμος, de quibus vid. GVLIELMVS BYDAEVVS in comment. Graecae linguae p. m. 992.

Summum autem studium, exquisita diligentia si
in vita ad virtutem conformanda adhibeatur,
non potest non inde sequi discessio, separatio a
prauis plebeiorum & opinioneibus & consuetu-
dinibus. Atque id quidem est, quod nos hoc
loco *ἀρχιβειαν* vitae, specialiori ratione voca-
mus.

§. VI.

Vitae *ἀρχιβειαν* memorat, & ab omni-
bus exigit Paulus *Ephes. V, 15.* βλέπετε ἐν
πᾶς ἀγείως ὁμοτάτε, Vide quomodo pos-
sitis instituere vitam exactam. Sed addit: μὴν
ἀσοφοί, ἀλλ' οὐ σοφοί. Ad quem locum ele-
ganter *HVG O GROTIUS* notat, per τὰς ἀσόφυς
eum intelligere gentilium philosophos, qui cum
σοφοί videri vellent, reuera erant ἀσοφοί. Ni-
mirum vitae quandam *ἀρχιβειαν* in moribus suis
ostentabant philosophi. Hinc Gymnosophi-
starum, Pythagoraeorum, Cynicorum aliorum-
que instituta varia, quibus a recepta vitae con-
suetudine discedebant, volebantque distingui a
plebe. Hinc ciborum, vestimentorum, gestuum
genera singularia. Hinc barba, pallium, alia-
que

que sapientiae documenta, summam saepius
stultiam obtegenzia, & Stoicis cumprimis non
semel exprobrata. vid. RAPPOLDVS ad Horatii
Satyras cap. VIII. 92. Sed longe aliam ἀνειλείαν
a suis exigit apostolus.

§. VII.

Phariseorum sectam ἀνειλείαν
ἀριστον vocat apostolus Actor. XXVI. 5. Quod
dubium non est, quin itidem de ἀνειλείᾳ vitae,
sed spuria itidem & inepta, sit intelligendum.
Cum enim summam prae se ferrent sanctitatem,
id omni studio elaborabant, ut singulare quid
prae reliquis habere viderentur. Vnde & se a
plebe, quam impuram censemant, ne tangi qui-
dem patiebantur, cibumue cum illa capere no-
lebant. Hinc magna sanctitatis opinio, quam
exquisita extenorum obseruantia, studiose augen-
bant. Non laudat itaque Phariseorum sectam
Paulus, ut recte obseruat ad b. l. THEODORVS
BEZA, sed loquitur ex opinione Iudeorum, qui-
bus ista secta ἀνειλεία videbatur, & certo mo-
do erat, sed ἀνειλείᾳ peruersa, hypocritica &
minime laudanda. vid. ANTONIVS VAN DALEN
de origine & progressu idolatriae, cap. IV. p. 92.

§. VIII.

§ (8) §
§. VIII.

Hanc, [quam graeca voce ἀνγίτεια appellamus, latine alii *singularitatem* vocant. Non male, si praesertim originem vocis spectes. *Singulus* enim, vnde *singularis* iuxta GERARDVM IOANNEM VOSSIVM ab Ebraeorum סגָלִי descendit, id est *peculum, peculiare, singulare*. Et *singulare*, vt idem porro docet, latinis non tantum id notat, quod proprium & peculiare est, sed etiam quod eximum est: quemadmodum & vox ebraea utroque modo sumatur, in etymolog. in voce: *singulus*.

§. IX.

Ad mores ergo si vox ista transferatur, *singulare* in vita erit, quo quis sibi aliquid proprium ita habet, vt differat ab aliis, quandoque & aliis praestet, & prae illis excellat. Coniuncta enim fere haec sunt, vt hoc ipso quis aliis se praestare credat, quoceu proprio sibi, & peculiari, ab iis discernitur. Id enim vero variis modis variasque ob causas contingere potest.

§. X.

Namque interdum a receptis moribus ideo discedunt homines, quod per leges diuinias id sibi faciendum censem: praesertim cum
mo-

§§ (9) §§

mores istos labe quadam infectos vident, ut sine
virtutis iactura illos imitari nequeant. Interdum
contra receptam ingredi viam ideo detrectant,
quod illis sordeant, quae communia sunt, &
stulta ambitione, aut inepta etiam superstitione
in deuia, & singularia abripiantur. Quandoque
etiam contingit, ut non malo quidem consilio,
nec aut ambitione aut superstitione ducti, at sine
tamen necessitate, a via constieta nonnulli disce-
endant, & singularia consequentur. Hinc triplicem
constituere fas fuerit *æneis*, seu *singularita-*
tem, laudabilem, vituperabilem, excusabilem.

§. XI.

Singularitas laudabilis christianis pro-
pria est. Estque affectio virtutis christianorum,
qua summo studio & exquisita diligentia ea
omnia firiunt, & evitant, quae legibus diuinis
sunt prohibita, & cum sanctitate morum pu-
gnant, quantumuis multorum moribus & con-
fuetudine a multis etiam seculis recepta, com-
probata sint atque corroborata.

§. XII.

In causas singularitatis, more cete-
roquin in scholis recepto, operose inquirere,
necessse non est, cum quilibet facile intelligat,

B

quic-

§ (10) §

quicquid de virtute christiana , eiusque causis
dici potest , id facili negotio , ad singularitatem
posse accommodari . Namque affectiones re-
rum cum rebus ipsis ex iisdem profluunt fonti-
bus . Abhorret autem animus ab illorum con-
suetudine inepta , qui tum demum recte argu-
mentum se tractare putant , si conuecent , non
quaes dici debeat , sed quae dici possint .

§. XIII.

Interim illud probe obseruandum , ut
in genealogia virtutum christianarum , initium
positiue recte sumitur ab amore Dei & priuatiue
a sui ipsis abnegatione , ita & cum reliquis vir-
tutum christianarum affectionibus , *angelicis*
istam , & singularitatem ex hisce initiis exsurgere
& progerminare . Qui enim Deum sincere amat ,
non amabit , nec amare potest , quod Deo disipli-
cet , vel cum amore Dei consistere nequit . *Math.*

VI. 24. Et qui amore diuino inductus , omnibus
rebus mundanis , quibus cupiditatibus suis ad-
haerescere poterat , nuntium mittit , non potest
non procul discedere ab eorum moribus , qui-
bus pars felicitatis praecipua videtur , suas quo-
cunque modo , explere posse cupiditates . *Matth.*

X. 37. Luc. XIV. 26.

§. XIV.

¶ (ii) ¶
§. XIV.

Vt autem ex ipsa virtutis christianaæ
indole, non potest non *angelica* & laudabilis
haec singularitas fluere, ita scriptura sacra passim
quoque eam inculcat, atque efficacissime com-
mendat. Et in veteri quidem testamento, Deus
passim Israelitas dehortatur, ne in gentium viis
ambularent, prauosque illarum imitarentur mo-
res. Plurimaeque hic comparatae sunt leges,
quae a gentibus distinguerent Israelis progeniem,
ne quicquam cum illis commune habere vide-
retur: documento simul futurae, quam sollici-
cite christiani fugere debeant labem huius seculi.
Et in eo etiam sapientiam & gloriam gentis Israe-
liticae, ipse constituit Deus *Deut. IV. 6.* Nec du-
bium profecto, quin pro gente admodum sin-
gulari, Israelitas habuerint ethnici, quod etiam
historiarum comprobant monumenta. Omnium
instar est *CORNELIUS TACITVS*, hoc nomine
maxime hanc gentem reprehendens, quod nihil
commune cum aliis haberent, immo ex singula-
ritatis studio omnia contraria. *Profana illic
omnia, quae apud nos sacra: rursum concessa
apud illos, quae nobis incepta. històr, libr. V.
cap. V.*

B 2

§. XV.

¶ (12) ¶
§. XV.

At veram *ἀργίσειαν*, in malorum quorumuis auersatione consistenter, cum pauci curarent Israelitarum, externis contenti, Deus inter illos excitauit viros sanctos, qui prava fugiendo, singulares admodum ipsis Israelitis videbantur. Tales erant, ut nunc exempla notissima taceam, quos apostolus describit Ebr.XI. 37.38. *Alii ludibria & scuticas, itemque vincula & custodias experti sunt: lapidati, sceti, tentati sunt: gladii caede interierunt: ouinas caprinasque pelles gestarunt, egentes, calamitosi, aerumnosi, per deserta & montes, antraque, & terrae specus errantes.* Singulare profecto hominum genus! Num ideo reprobandum? Immo: ὥν ἐν ἀξιος ὁ κόσμος. Tanti erant ob singularitatis studium in oculis Dei!

§. XVI.

Consentit auctor libri Sapientiae. Dum enim cap. II. acerbissimum odium impiorum erga probos (quanquam nonnulla, quae de his dicit, ad ipsum Christum accommodari possint) edisserit, illos ita conquerentes inducit: *Βαρεύεται οὐαὶ τοῖς βλεπόμενος, οὐτι διόμοιος*

tois

§ (13) §

τοῖς ἀννοῖς ὁ Βίος αὐτός, νοῦ ἐξηλαγμένοις
τεῖσαι αὐτός. Non possumus sustinere versantem
ante nostros oculos, quia vita ipsius dissimilis est
aliorum vitae, nec se ad aliorum mores accom-
modat. Grande crimen! scilicet qui ad impio-
rum se non accommodat mores, qui vitam isto-
rum vitae dissimilem dicit, tormentis grauissi-
mis dignus. Quid ita? Quae tanti causa odii?
Perge: iudicat nos esse adulterinae naturae ho-
mines. Hinc illae lachrymae. In dissimili pio-
rum vita, suae censuram vident. Hanc fugiunt,
eunt, detestantur.

§. XVII.

Christum, vitae sanctioris optimum exem-
plum nobis relinquentem, ceu summum facer-
dotem nostrum, ita describit apostolus, quod
fuerit: ἄνακτος, αὐλικός, κεχωρισμένος διπό-
τῶν ἀμφιθαλῶν Ebr. VII.26. Nihil ergo cum pec-
catoribus commune habuit: vita eius plane fuit
singularis. At commercia cum peccatoribus illi
exprobrant Pharisaei Matth. IX.17. Recte. Nam-
que & haec erat singularitas, qua discedebat a
fastu hypocritico Pharisaeorum. Non repue-
bat illorum commercia, ut miseros ad meliorem

B 3 men-



¶ (14) §
mentem perduceret: mores illorum non imita-
batur.

§. XVIII.

Tales quoque christianos omnes esse de-
cet, pro quibus Christus seipsum tradidit, quo-
nos ab omni scelere, vindicaret, & purgaret sibi
 $\lambda\alpha\sigma\pi\epsilon\gamma\sigma\tau\sigma$, populum peculiarem, ζηλωτὴν
καλῶν Ἑγγὼν. Respondet voci περιστος Ebraeo-
rum Πέτρος, vnde latinorum *singulus*, *singularis*,
ut supra diximus, deriuat *Vossius*. Namque
LXX interpretes vocem ebraeam ita reddunt
conf. *Exod. XIX. 15. Deut. VII. 5. cap. XIV. 2.*
cap. XXVI. 18. Et rectius ita vertitur, quam per
Ξερόπετον, quod a STMMACHO factum, obser-
vante HIERONTMO ad h.l. Bene quoque haec
coniunguntur: περιστος & ζηλωτὴς καλῶν Ἑγ-
γὼν. Vtrumque enim inuoluit vitae ὀργῆσαι,
studium sumnum, & separationem ab eo, quo
quis desinit esse περιστος proprius & peculiaris
Deo.

§. XIX.

Hoc eousque apostolus Paulus exten-
dit, vt ne quidem σχῆμα, externam figu-
ram, signa illa & documenta externa, quibus lu-
xuri-

xuriam, ambitionem, & alia animi vitia prode-re solent homines huius seculi, in sanctis ferat:
μὴ συσχηματίζετε τῷ αἰώνι τέτω Rom. XII. 2.
Ab illis enim, a quibus vitia ipsa absunt, merito quoque abest vel species vel suspicio vitiorum. Namque ut virtutes pariter atque vitia externis se produnt, ita probi pariter ac improbi hisce internosci vel maxime debent. Habet mundus suum *σκῦνα*, habet & regnum Christi; at illud cito transit *I. Cor. VII. 21.*

§. XX.

Immo inter fructus redēctionis Chri-
sti hoc collocat Petrus, quod prauae consuetu-
dini a maioribus ad posteros propagatae, non
amplius regeniti locum relinquant. Hoc enim
sibi vult: μάταια αὐτοεργά παλέοπαζδότ. Ο.
h. e. vt recte ABRAHAMVS CALOVIVS interpre-
tatur, a patribus propagata vana conuersatio vel
conuersandi & viuendi consuetudo, a qua nos
Christus redemit, quemadmodum liberavit nos
ἐν τῷ ἐνεστῷ οἴῳ πονηγῇ Gal. I. 4. ad b. l.
Et licet forte speciatim ad nimiam praecepto-
rum a magistris acceptorum obseruantiam respi-
ciat Petrus, ob rationem tamen, quae subest,

vni-

¶ (16) ¶
vniversalem, recte hoc intelligimus de omnibus
consuetudinibus, & moribus prauis, a patribus &
maicribus ad nos propagatis.

§. XXI.

Explicata ita, & confirmata genera-
tim singularitate christianorum laudabili, faci-
le esset, descendere ad specialia. At paucis, quae
dici possent, designare fas fuerit. Exerit nam-
que se haec *αγείβεια* & laudabilis singularitas,
& in iis, quae ad intellectum spectant, & in iis,
quae voluntatem afficiunt, mouentque affectus,
& in externis, quae in oculos sensusque incur-
runt.

§. XXII.

Intellectum ita erudit homo christia-
nus, ut a veritate in diuinis literis comprehen-
sa, vel latum discedere vnguem, sibi ducat reli-
gioni. Summam hic ostendit *αγείβεια*. Gau-
det in retinenda, explicanda, defendenda verita-
te coelesti, & esse & videri *αγείβης* (modestiae
tamen & caritatis memor) et si haec displiceat
haereticis, & veritatis corruptoribus quibusuis
iis-

35(17)55

iusque morosus & intempestive singu-
laris audiat. Maxime & haec ἀργίβεια &
singularitas se exerit in reiiciendis erroribus po-
pularibus, quorum tanta est fertilitas, ut vel hac
praecipue ratione a plebe improba distingui cu-
piat non modo vir sapiens, sed quilibet chri-
stianus. Errores autem populares & commu-
nes ubique fere regnantes, qui cognoscere cupit,
JOANNIS D'ESPAGNE adeat librum, de *errori-*
bus communibus.

§. XXIII.

Virtutibus quae voluntatem exornant
affectuumque regimini, vti totus deditus est
homo regenitus, ita hic cum primis studet esse
ζηλωτής καλῶν ἔργων. Nec sufficit illi ea age-
re, quae interdum hornines sibi relicti ex quodam
naturae impetu, aut commodi cuiusdam intuitu
agunt, quaeve externa virtutis specie se commen-
dant: sed gratiae diuinae viribus ea agit, quae
reliquis αὐθικά videntur, maxime in eo singu-
laris & ἀνεξέλεγκτος. Diligere parentes, cognatos,
amicos (qua actum, non qua modum, qui chri-
stianis proprius est) illi cum multis commune.
Nonne οἱ publicani idem faciunt: Matth. VI. 46. 47.

C

Dili-



Diligerē inimicos sincere, hoc demum christia-
nae virtutis opus: hoc singulare, nihil hic illi
cum aliis commune. *Matth. VI. 44.* Hinc chara-
cter filiorum DEI v. 45.

§. XXIV.

In externis res eodem se habet mo-
do. Indiget homo Christianus cibo, potu,
vestitu, aedibus, aliis. His vtitur, non fruitur,
vt *AVGVSTINI* distinctione vtar; de *doctrina
christiana* libr. I. cap. I. Homines contra irrege-
niti his fruuntur, non vtuntur. Ingens discriminem.
Regeniti ad necessitatem omnia, nihil ad luxum,
ambitionem, avaritiam referunt: irregeniti, si pos-
sent non tam ad necessitatem, quam ad luxum,
ambitionem, cupiditates, referrent omnia. Nihil
illis commune cum his. Singularia omnia. Hoc vo-
lebat apostolus: οἱ κλαίοντες, ὡς μὴ κλαίοντες,
καὶ οἱ χαιρόντες ὡς μὴ χαιρόντες; καὶ οἱ αγοράζον-
τες ὡς μὴ κατέχοντες; καὶ οἱ χειρώνεοι τῷ κόσμῳ
τύτῳ, ὡς μὴ καταχειρώνεοι. *I. Cor. VII.*
30. 31.

§. XXV.

Haec singularitas christianorum, quae
vbique in omni vitae actu conspicitur, sum-
mo

mo illis vitio vertitur ab hominibus huius seculi.
Hinc istud supra iam laudatum: βαρύς ἐστιν
ἡμῶν καὶ βλεπόμενος; hinc istae querelae, ho-
minem esse intolerabilem, morosum, sibi solis sa-
pere, nihil illi rectum esse, nihil probari, nisi
quod cum moribus eius consentiat; & quae alia
sunt conuitia in homines innocentissimos saepius
iactitata. Id primitiuae ecclesiae contingebat
christianis, quibus, quod moribus & confuetu-
dine gentilium viuere nollent, odium generis hu-
mani exprobratum, & hostes publici, legum, mo-
rum, naturae totius inimici, indicatis sunt. vid. TER-
TULLIANVS apologet. cap. II. & XXXV. eiusque
liber ad Scapulam cap. IV. LACTANTIVS de
mortibus persecutorum cap. XIV. TACITVS an-
nal. libr. XV. cap. XIV. add. KORTHOLOTVS in
pagano obtrectatore libr. III. cap. VIII.

§. XXVI.

Causam huius odii iam indicauerat & pae-
dixerat Christus ipse: Si ex mundo essetis, mun-
dus quod suum est amaret, quia vero ex mundo
non essetis (ab eius moribus discessistis, nihil cum
eo commune habetis, singulares essetis) sed ego
elegi vos ex mundo (ut tales essetis) propterea
odit vos mundus. Io. XV. 19. Quod domini ef-

fatum pluribus, & accommodate prorsus ad institutum nostrum, edifferit LACTANTIVS, dini-
parum institutionum libr. V. cap. IX.

§. XXVII.

Dum ita contra gentilium calumnias christianos defendit TERTULLIANVS, rem omnem simul accurate explicat. Dicit namque, in rebus licitis & necessariorum vſu, nullum inter christianos & reliquos homines intercedere discriminem, nihil illos habere peculiare, nihil singulare. Afferit esse eos, eiusdem *victus*, *habitus*, *instructus*, eiusdem ad vitam necessitatis. Neque enim, ait, Brachmanae aut Indorum Gymnosophistae (quorum ineptam singularitatem iam supra notaui-
mus) sumus, Syluicolae & exules vitac. Memi-
nimus, gratiam nos debere Domino DEO creato-
ri: nullum fructum operum eius repudiamus. Pla-
ne rem temperamus, ne ultra modum aut perpe-
ram vitam. Itaque non sine foro, non sine bal-
neis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris
ceterisque commerciis, cohabitamus in hoc seculo.
Nauigamus & nos vobiscum, & militamus & ru-
sticamur, & mercamur, proinde miscemus artes,
ope-

§§ (21) §§

*opera nostra publicamus usui vestro. In his
omnibus singulares esse nolebant christiani.*

§. XXVIII.

Sed alia rursus erant, in quibus vfitata incedere via, consuetudinemque ethnicorum sequi, iure sibi ducebant religioni. Sed si ceremonias tuas, pergit TERTULLIANVS, non frequento, at-tamen & illa die homo sum. Non lauor dilucu-lo saturnalibus, ne & noctem & diem perdam: attamen lauor honesta hora & salubri. Non in publico liberalibus discumbo, quod bestiariis suprema coenantibus mos est: attamen ubique de copiis tuis coeno. Non emo capiti coronam. Quid tua interest emitis nihilominus floribus quomodo vtar? Puto gratius esse, liberis, & solutis, & vndique vagis &c. in apologet. cap. XLII.

§. XXIX.

Laudabilem singularitatem nunc excipiat vituperabilis. Haec a moribus receptis, etiam bonis & honestis, temere discedit, vt aut ambitioni, eminere p[re]e aliis cupienti, aut superstitioni satisfiat. Quod cum longe frequentissimum sit vitium, factum, vt ex usu loquendi singularitas in malam haud raro accipiatur partem,



§ (22) §
hominisque aut superbi, aut superstitionis, aut
prauae actionis sit indicium.

§. XXX.

Nec frequentiores prauæ huius singularita-
tis causæ, quam aut ambitio aut superstitionis. Nullumque occurrit exemplum, quod non alteru-
tram harum, matrem & genitricem agnoscat.
Interim & haec tum quoad intellectum, tum
quoad voluntatem, tum quoad externa se
exerit.

§. XXXI.

Sapere cum aliis, recepta tenere dogmata,
magnum dedecus homini ambitionis oestro
percito. Tum demum sibi viuere videtur, si
eam sibi perspectam veritatem credat, quam
ignorent reliqui omnes.

*Nil dulcissimum est bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum tempora serena;
Despicere unde queas alios, pasimque videre
Errare, atque viam palantes quaerere vitae.
Nihil tam absolum, quod non placeat, modo
sit singulare, nec commune cum pluribus. Non
magnum scripturae statuere pretium, cuiuscunque
quis sit addictus religioni perinde aestimare, ne-
gare spectra, daemones, angelos, de existentia*

DEI

DEI disputare, egregium & pulchrum hisce hominibus videtur, quia singulare est, hoc est cum paucioribus, ut putant, sibi commune.

§. XXXII.

Damnauit hanc singularitatem iam apostolus, de homine diversam sequente doctrinam, neque sanis Domini nostri Iesu Christi dictis, pietatisque doctrinae accidente, h. e. singularia constante, pronuntians: τετύφωμαι, μηδὲν ἐπισάμενος I. Tim. VI. 4. Quo ipso & veram genuinamque huius vitii causam indicat.

§. XXXIII.

In omni vitae ratione nihil placet homini ambitioso, in cuius participationem & alii veniant. Haec est natura & indoles ambitionis, non ferre parem. Haec καὶ ἔξοχὴ sic dicta singularitas. Sordent laudes, praemia, imperia, nisi solus obtineat. Vellit, si posset, & coelum solus habere, ne quid sibi cum plebeiis communie esset. Quibus opponimus illud apostoli: τὸ αὐτὸ (non autem singularia) εἰς αὐλάντες φέρουσιν. Μή ταὶ υψηλὰ φέρουσιν, αὐλάτοις ταπεινοῖς συναπταγόμενοι, Rom. XII. 16.

§. XXXIV.



In externis stultitia hominum, quos ambi-
tio vexat, suum denique campum nanciscitur,
in quo se exerat. Ad pompam cuncta, pauca
ad usum. Non placet vestis, domus, suppel-
lex, quia & aliis aut eadem, aut meliora. In his
omnibus excellere, superare omnes, ἀνειβώς
quaerunt. Parum memores quod χῆμα huius
mundi cito transeat: & moniti apostolici: ἔχον-
τε δὲ διαπροφάσ νόησην πομαῖσ, ταῦταις αὔξενδη-
σομεῖται I. Tim. VI. 8.

Supersticio multis modis suam singularita-
tem prodit. Nihil in ea modicum. Figmenta
turpissima tanto facilius creduntur, quanto ab
omni verosimilitudine sunt remotiora. Tum
enim vere sunt singularia. In cultu Numinis ni-
hil tam arduum, tam difficile, ad quod non ad-
spiret: ne communi more colere eum videatur.
Ritus, ceremoniae, externa, si quid valent, non
committit, vt hic maiorem quis adhibeat ἀνει-
βειαν.

Exempla ubiuis obuia. Nescio an lucu-
len-

lentiora, quam quae ordinum quorundam apud
 Pontificios conditores suppeditant. His singu-
 laritate maxime opus erat, ne admiratoribus desti-
 tuerentur, ne deessent, qui nouam disciplinam
 sequerentur. Omnim instar FRANCISCVS ille
 ASSISIVS erit, in cuius vita nihil sane nisi singula-
 re, sectatores eius sibi deprehendere videntur.
 Inuentute in lasciuia vitiisque grauissimis trans-
 acta, ad aliud vitae genus transiturus, mox re-
 uelationum diuinarum particeps, audita in mis-
 sa quadam voce euangelii: *ne possidete aurum,*
aut argentum &c. Spontaneam electurus pau-
 pertatem, abdicata haereditate paterna, cilicium
 & cucullum induens, calceamenta deponens, de
 eleemosynis vicitans, vultu despicibili, barba
 prolixa, capillis incultis, pannis circumdatus,
 miatta pro strato vtens, saxum capiti pro cerui-
 cali supponens, in nuditate, abstinentia ac vigi-
 liis totus: ludibria, insultus plebis, verbera non
 adeo extimescens aut euitans, vt appeteret con-
 tra quam audiissime. Eo modo totam peragra-
 vit Italiam, plerorumque ludibrium, aliorum
 admiratio. En hominem a consuetudine secu-
 li discedentem, vereque singularem.

Magna, fateor, virtutis species, proximeque, si externa species, accedens ad sanctorum veteris testamenti *anglocaev*, quos ex *Ebr. XI. 36. 37.* descripsimus, immo apostolorum *I. Cor. IV. 9. II. Cor. XI. 25.* Accuratiorem tamen vix sustinebit censuram. Fidem in sanctis illis praedicat apostolus, & apostoli ipsi fidei, caritatis, & humilitatis dederunt ubique documenta. In FRANCISCO si non ambitionis, certe superstitionis, prauae singularitatis, vestigia multa. Nec quisquam sanctorum veterum duriora ista, famem, nuditatem, ludibria, verbera, ipse affectauit, sed si Numine ita volente, talia illis contingent, patienter & aequo animo ista ferebant. Et ista patientia veraque humilitate distingui gaudebant a reliquis, non externorum, quae singularia essent, consecratione.

§. XXXVIII.

Si alia deessent, suspectam omnibus merito redderent Francisci singularitatem, iactitata ista stigmata, seu vulnera corpori eius a Christo impressa & vulneribus corporis Christi respondentia. Quam multis aliis eiusdem generis commentis confirmat quidem auctor libri

EDIZ.

§§ (27) §§

conformatum S. Francisci ad vitam Iesu Christi,
quem BARTHOLOMAEVM ALBICIVM PISANVM,
seculi decimi quarti scriptorem nonnulli esse pu-
tant, et si alii iam seculo XIII hunclibrum lucem
adipexisse contendant. At quam parum auctor
iste existimationi Francisci consuluerit, abunde
patet ex *Alcorano*, quem vocant *Franciscano-*
rum, seu ut integer se habet titulus: *de stigma-*
tisato idolo, quod Franciscum vocant, blasphem-
iarum & nugarum lerna seu Alcoranus Fran-
ciscanorum. Namque huius libri auctori, quem
ERASMVM ALBERVM verbi diuini in Marchia
Brandenburgensi ministrum, & ob *iudicium de*
spongia Erasmi, aliaque scripta, satis notum, fe-
runt, vt immedicable vulnus Franciscanorum
ordini infligeret, nihil fere aliud agendum fuit,
quam vt colligeret impia, blasphema, abscona,
quae in libro conformitatum occurrunt. Quem
dum HENRICVS SEDVLIVS, ex eodem ordine
monachus, gente Belga, refutare aggressus est,
idque ea ratione, vt defendere pro viribus cuncta a
Bartholomaeo dicta, conaretur, causam prodidit.

§. XXXIX.

De IGNATIO LOIOLA, Iesuitici ordinis
conditore, idem dicendum. Nihil in eo quo-

D 2 tidia-



tidianum, nihil vulgare, si discipulos eius audiās,
ex quo ad diuiniora animum adiecit. De miracu-
lis, visionibus, reuelationibus, quae illi contige-
rint, nihil dicam, cum pauci sint, forte etiam ex
Romanensibus, qui hisce fidem adhibeant. Ex
Palaestina redux, aetate iam prouecta, cum
grammaticae rudimenta Barcellonae inter pue-
ros didicisset, tandemque anno M D XXVI
Complutum se contulisset, mox omnium in se
conuertit oculos. Vetus & amictus mendicum
referens, vultus ad grauitatem compositus, ca-
ptata vbique in plateis concionandi occasio, ho-
mines plebeios facile ad illum pertrahebat. Au-
gebant spectaculum, quatuor socii, eiusdem
coimmatis. Quam vitae rationem, Compluto
discedere coactus, Salamancae alibique conti-
nuando, auctoritatem quae ordini famigeratis-
simo condendo sufficeret, sibi comparauit. Sin-
gularia haec quis negauerit? Immo longe ma-
iora adhuc apud RIBADENEIRAM, NIEREMBER-
GIVM, aliasque vitae eius scriptores. Num id-
eo laudanda? Non credet temere, qui ingenium
mortalium nouerit, modosque infinitos, quibus
decipiunt seipso, ut deinceps eo tutius decipient
alios. Sed talia non esse infrequentia in ecclesia

Roma-

ଫେବ୍ରୁଆରୀ (୨୨) ୧୯୮୩

Romana, demonstrauit ex instituto doctissimum
Angliae episcopus EDWARDVS STILLINGFLEET
in libro anglica lingua scripto, & in gallicam
translato: *de fanaticismo ecclesiae Romanae.*

•§ XL.

Succedat tandem singularitas excusabilis.
Cuius ne ignores naturam indolemue , duo po-
nenda sunt cui iam euicta ab aliis : quorum al-
terum : nullum actum moralem in indiuiduo
cum circumstantiis suis spectatum, esse indifferen-
tem, sed quemlibet esse vel bonum vel malum :
alterum : actiones malas multiplici ratione , va-
riasque ob causas admittere comparationem, ut
vna altera merito deterior censeatur. Vnde ipse
facile colligas , excusabilem a nobis non eam vo-
cari actionem , quae sit indifferens , sed quae ali-
quid vitii trahit , et si cum aliis comparata , in mi-
noru vel minimo gradu , mala iudicetur. Quo
ipso & intelligitur , cum variae actiones excusa-
biles dici queant , vnam tamen interdum magis
excusabilem dici posse , altera.

§. XLI.

Excusatio ista aut in foro fit, aut iudicio
doctorum, quorum officium est, de exemplis,
quae historiarum monumenta nobis suppedita-

D 3 tant,

§ (30) §

tant, statuere , vt quid in illis aut fugiendum ,
aut consecrandum sit, patescat omnibus. Forum
iterum vel diuinum est vel humanum. In foro
diuino tantum abest vt vllum peccatum sit excu-
sabile , vt quodlibet potius , quantumuis leue, in
se spectatum , aeternos promereatur cruciatus ,
ob laesam aeternam & infinitam iustitiam Nu-
minis sanctissimi. At ex conditione subiecti fit,
vt in regenitis propter fidem in Christum , pec-
cata infirmitatis , velut in censum peccatorum
non veniant , nec gratia diuina hominem pri-
uent: ideo & quibusdam *venialia* dicuntur.
Hoc sensu εδὲν καλάχειμα in illis , qui in Iesu
Christo sunt Rom. VIII. 1. Et: πᾶσογεγενημέ-
νος ἐν Θεῷ αμαρτίαν εποιεῖ I. Ioh. III. 9.

§. XLII.

In foro humano excusationi omnino datur
locus , eousque , vt interdum actio plane non im-
putetur , poenaque adeo cesset , vel delinquens
venia dignus censeatur; interdum si imputetur ,
& puniatur , hoc tamen fiat quam lenissime.
*Namque leges humanae feruntur cum sensu imbe-
cillitatis humanae.* vid. G R O T I V s de iure belli & pa-
cis

¶ (31) ¶

eis libr. I. cap. IV. §. VII. & ad humanum mo-
dum libr. III. cap. XXIII. §. V.

§. XLIII.

Iudicium doctorum ecclesiae, sequitur re-
gulam fori diuini. Ideoque primum & praeci-
pium est, cognitam atque perspectam habere
conditionem agentis. De hac si constet, esse
eum ex numero vere creditum, tum genera-
tim quidem adprobatur in iis illud apostoli:
quod in illis sit ἐδὲ κατάκειμα: ipsae actiones
autem in se spectatae secundum leges & princi-
pia actionum humanarum diiudicandae, ut pa-
teat, quoisque excusationem admittant? vbi
in certis quidem & manifestis res facile procedit,
in dubiis & incertis locum habeat illud apostoli:
ἢ γὰρ πάντα ἐπί. I. Cor. XIII. 7.

§. XLIV.

Fontes excusationum praecipui sunt impe-
dimenta intellectus & voluntatis, ignorantia,
coactio, metus, affectus vehementiores, quibus
per imbecillitatem humanam non facile resisti
potuit, caute tamen apud christianos adhibendi,
ne homines gratiae viribus instructos, in eandem
cum Ethnici detrudamus sortem: omnium
praec-

praeterea concursus ~~reipublicae~~, quarum haec
praecipua vis & efficacia est, ut actionem magis
aut minus excusabilem reddant. Cum primis ta-
men *intentionis*, quam vocant, habenda ratio,
quae et si sola actionem bonam reddere nequeat,
in ea tamen excusanda plurimum valet, ut vel
illis, qui prima moralis doctrinae elementa de-
gustarunt, satis notum est.

§. XLV.

Rationes ex hisce fontibus petitae, ut
quainuis actionem magis aut minus excusabilem
reddunt: ita si praeantiores ex illis concurrant
in actione lege speciali non prohibita aut vetita,
quales multae illorum sunt, quibus peculiare si-
bique proprium vitae genus nonnulli sectantur,
tanto maiorem in iis excusandis exserunt effica-
ciam. Atque hinc demum patebit, quid de
actionibus vitaeque genere, quod multi vete-
rum ecclesiae doctorum & patrum, sanctitatis
ceteroquin laude valde conspicui, oppido inter-
dum singulari, censemendum sit.

§. XLVI.

Si quid in omni, omnium sanctorum vitae
genere, singulare occurrit, hoc sane deprehendi-
tur in vita SIMEONIS, quem STYLITEM vocant,

&

& THEODORETUS, maximum terrarum orbis miraculum, appellat, quiue seculo V. floruit. Hic gente Syrus, ex vico Susan vel Sisan oriundus, a pascendis gregibus diuino insomnio ad sublimiora vocatus, apud Heliodorum, eximum sanctitate virum, decem annos, ieuniis aliisque vitae severioris exercitiis, intentus, exegit. Hinc sub montis cuiusdam vertice angusta aede inclusus, quadraginta dierum ieunio adeo corpus attenuauit, ut nisi Bastas archipresbyter illi suppetias tulisset, sine dubio viuendi fecisset finem. Post triennium in ipso montis vertice catena ferrea viginti cubitos longa, rupi se alligauit, sibi que fines deambulationis, quos etiamsi vellet, excedere non valeret, circumscripsit. In quo vitae genere, integro septennio exacto, tandem a Meletio quodam episcopo exoratus, catenam depositus, & columnam quandam excelsam, in loco quodam Mandra dicto, prope Antiochiam sitam, petiit, ac in inferiori columnae parte annos septem, in vertice triginta, exegit, inde *stylites* dictus. Durum asperumque vitae genus, nec temere imitandum a quoquam, auctoritatem summam, sanctitatisque ei conciliauit opinionem, ut regibus etiam & imperatoribus carus, qui-

E

dam

velut vitae morumque per orbem arbiter censem
retur. vid. THEODORETUS in *Philotheo*, seu hi-
storia religiosa cap. XXVIII. EVAGRIVS scholaſti-
cus hiftor. libr. I. cap. XIII. & XIV. & libr. II. cap.
IX. NICEPHORVS libr. XIV. cap. LI. EVLOGIVS
ALEXANDRINVS apud Photium orat. IX. cod.
CCXXX. LEO ALLATIVS in diatriba de Symeo-
num scriptis p. 6. seq.

§. XLVII.

De hoc itaque Simeonis instituto, quid
pronuntiandum, forte dubites. Virum plane fuis-
se singularem quis neget? Veteres eum sine ex-
ceptione laudant, celebrant, admirantur. EVA-
GRIΟ vocatur: ὁ τῆς ὁσίας κοὐ πάντα ἀοιδίπε-
μνήμης, vir sanctae & per celebris memoriae.
Idem de eo sic pronuntiat: Hic angelorum con-
uersationem in carne aemulatus, a terrenis qui-
dem rebus sese abduxit: & vim inferens naturae,
quae deorsum vergit, sublimia appetit. Ac me-
dius inter coelum & res terrenas constitutus,
Deum allocutus est, & una cum angelis Deum
glorificauit; ex terris quidem supplicationes pro
hominibus offerens Deo, ex coelis vero supernam
benevolentiam hominibus concilians. l.c.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Ego ita censeo, ἀνθεῖαν istam & singulatitatem viri, cetera sanctitatis maximaque virtutis laude non defraudandi, non quidem in omnibus laudabilem, multo minus ad imitationem trahendam, fuisse tamen excusabilem. Tam inusitatum enim vitae genus, ab eo sineulla necessitate suscepsum videbatur, cum & sine eo per media consueta diuinitusque praescripta, preces, ieiunia, verbi meditationem, reliqua, carnis compescere motus, vitaeque conseruare puritatem potuisset. Nec ideo necesse est, catena se alligare rupi, aut vitam transfigere in columnam. Immo poterat in suspicionem ἐθελοθεντικας apud multos venire, nisi aliunde constaret, a superstitione, pariter ac ambitione, virum admodum fuisse remotum.

§. XLIX.

Nimirum cum & aliis eo tempore viris sanctis, vitamque solitariam sectantibus, suspecta ista Simeonis esset singularitas, miserunt ad eum, qui huius instituti ab eo exquirerent caussam, simulque iuberent, ut ab eo desisteret, aliamque vitae iniret rationem. Ad hoc cum se statim

E 2 prom-

promtum paratumque ostendisset, palam factum,
nihil ambitionis, nihil superstitionis, singulari huic
vitae generi subsuisse. Vtriusque enim comes
certissimus est, peruicacia. Digna res est, quam
explicemus verbis E V A G R I I , sed breuitatis causa,
latinis : *Cum igitur Simeones iste, qui in terris an-
gelus, & in carne ciuis coelestis Hierusalem fuit,
nouam hanc & mortalibus ignotam viuendi ratio-
nem (adeoque vere singularem!) instituisset, san-
ctae solitudinis incolae quendam ad eum miserunt,
mandantes, ut ex illo sciscitaretur, quaenam es-
set haec noua & peregrina conuersatio, & cur
viam iam tritam & sanctorum vestigiis impressam
relinquens (en! singularitatis notam) aliam ipse
nouam, nullique mortalium adhuc cognitam, ini-
uisset, simul praecipientes ei, ut descendenter, &
electorum patrum viam insisteret. Quod si ille
paratum se ostendisset ad descendendum, iusserunt,
ut suo more viuere sineretur. Obedientia enim
eius satis declarari, quod Deo duce atque auctore,
buiusmodi exercitationem suscepisset. (Hunc ita-
que excusabilis singularitatis characterem consti-
tuebant, quo a vituperabili discerneretur) Si ve-
ro detrectaret, & propriae voluntati (obserua-
ontem praecipuum prauae singularitatis) inferui-
re mal-*

re mallet, nec ipsorum monitis illico obsequeretur,
mandarunt, ut eum vi abreptum detraheret:
(hoc nimis violentum erat, & a zelo inconsulto
parum alienum) Qui cum ad illum venisset, &
patrum ei mandatum exposuisset, & confessim.
Simeon alterum pedem demisisset, ut praeceptis
patrum obtemperaret; is, qui ad illum missus
fuerat, permisit ei, ut cursum, quem instituerat
teneret, his eum verbis compellans: Fortis es tu,
& viriliter age; statio tua a Deo est.

§. L.

De Simeone altero, qui itidem ab habitaculo *Stylites*, ab aetate *iunior* dicitur, quia seculo sexto sub Iustino seniori vixit, Thaumastorita
denique, h. e. ὁ ἐν τῷ Θαυμασῷ ὅρει, in admirabili monte vitam degens, non perinde censendum, facile aliquis existimare posset. Namque ad imitationem saltem quandam Simeonis senioris, hoc vitae institutum suscepisse merito crederetur, nisi ab ineunte aetate vita solitaria delestatum, aliorum potius suauum, quam suo consilio hoc vitae genus cum elegisse, memoriae prodidissent alii. Quicquid huius sit, in magna tamen omnium, non obstante ista vitae singularitate, suo tempore fuit admiratione. EVLOGIVS
patriarcha apud PHOTIVM: μεγάλη καὶ ὡμέγας

Συμεὼν ὁ ἐν τῷ σύλῳ τὸν αγγελικὸν ἀπέννον βίον διανυσάμενος, a quibus stetit & magnus ille Simeon, qui in columna coelitum vitam aemulabatur. cod. CC XXX p.m. 879. Quare si iudicium amoris & τῆς ἐπιτεκμέτας sequi velimus, & haec excusabilis censeatur singlaritas. Multa de iu niore hocce Simeone Stylite tradit EVAGRIVS, ocularis testis historiae Eccles. libr. V. cap. II. & libr. VI. cap. XXIX. & ex EVAGRIO more suo NICEPHORVS CALLISTVS libr. XVIII. cap. XXIV. addatur LEO ALLATIVS diatriba de Simeonum. scriptis p. m. 17.

§. LI.

Hinctandem concludamus, in actionibus hominum, quae a more recepto discedunt, di iudicandis, caute incedendum, ne aut laudemus vituperanda, aut vituperemus laudanda aut condemnemus, quae vtut non laudanda prorsus, mitius tamen iudicium promerebantur. Ita suum cuique reddetur, ita verae & genuinae prudentiae ecclesiasticae campus aperietur latissimus, ita cuncta historiarum monumenta iuxta prudentiae regulas rite ad usum transferentur, ita denique locum obtinebit illud apostoli: πάντα δοκιμάζετε τὸ καλὸν κατέχετε. I. Tess. V. 21.

S. D. G.

ORNATISSIMO IVVENI
SAMVELI RANSLEBEN

S. P. D.
IO. FRANCISCVS BVDDEVS.



Vm demum literarum studia , quibus ad maiora in academiis rite praeparantur iuuenes , recte sibi constant , cum ad patriae atque ecclesiae utilitatem , commodumque , cuncta referuntur . Falluntur namque magnopere , qui praescripta in academiis stadia bene se emensos putant , si didicerint , quibus sibi solis sapere videantur . Vitae , non scholae , discendum , sapientum iam olim effatum fuit . Discimus autem vitae , si non tantum illarum , quae ad mores christianos formandos pertinent , maxime rationem habeamus , disciplinarum , sed & si profere in lucem , quae ex literarum bonarum fontibus hausimus , nostrosque aliis etiam probare profectus , iusto obseruato ordine , omni emergendi seque ostentandi pruritu , procul facessere iussio , annitamur . Et TIBI quidem , iuuenum optime , laus haec propria est , quod ex vtroque capite , prudentiae implere leges sategisti . Documento sunt hae ipsae theses , quas eruditorum examini submittis , quarumue vberiorem deductionem TIBI si otium Deus concederit , referuasti . Is documentum dedisti luculentum , TE ex illorum numero esse , qui industriae suaे publico specimine reddere rationem , non erubescunt . Nec TIBI placent illorum mores , qui egregium ignauiae suaे sibi inuenisse praefidium putant , dum hacte eruditorum exercitationes plane contemnunt . Igitur non satis TIBI fuit , nomen tuum inter eos profiteri , qui alternis vicibus disputantium officio fungendo , praecipuas , quae cum dissentientibus nobis intercedunt , controversias , me duce & commilitone , hactenus petractarunt : sed nunc hoc , eoque specialiore specimine , demonstrare voluisti TE tempus sumtusque bene collocasse . Simul vero eiusmodi sele-

gisti

gisti argumentum, hac quidem vice per delineationem quan-
dam adumbratum, quod ad vitam sancte & religiose ducen-
dam, moresque rite formandos, valeret plurimum. Nec peri-
culosius temere aberatur, quam cum in eo quid iustum aut
iniustum, honestum aut turpe, vulgi iudiciis nos abripi pati-
mur, laudantes vituperantesque coeco impetu, quod ab aliis
laudari aut vituperari videmus, temereque iudicantes de iis,
quae non satis nobis perspecta sunt & explorata. Obstacula
sibi ipsi maxima ponit in virtutis christiana cursu, qui igno-
rancia excoecatus, aut nescit omnino quid fugiendum, quid
expetendum, aut errore ductus euitat quae consecunda erant
& euitanda experit, & consecutatur strenue. In alios iniurius
maximopere est, grauissimoque se ostendit crimen, qui iu-
dicandi sibi sumta potestate, improbos recte agere pronunti-
at, probos autem virtutibusque deditos, pro improbis habet,
aut omnino stultis maleque feriatis annumerat. Sobrie con-
tra, caute, prudenter statuere de omnibus, id enim vero quo-
uis homines decet, praesertim eruditos, qui aut do-
ctorum funguntur munere, aut aliquando illi sunt admou-
endi. Et ad hanc quoque prudentiae virtutisque laudem
cum adspires, nihil eorum, quae eo TE ducere possint, inter-
misisti. Nullus temere dies, ex quo in hac academia docui,
praeterit, quo non TE inter auditores meos conspexi, sum-
ma animi attentione ea arripientem, quibus proficeres ipse
in eruditione & vitae sanctitate, quae docere aliquando
alios cupientibus prodeßent, & ita, dum egregie ea fecisti,
quae tuarum fuerunt partium, non est quod dubites, quin de-
stinata virtuti praemia, diuina cuncta ita disponente clemen-
tia, sis consecuturus. Ego vero & Parenti Tuo venerando,
viro optimo, quem Deus quam diutissime seruet, talem filium
gratulor, & TIBI porro exoptatos studiorum rerumque omnium
successus appreco, immo cuncta prospere feliciterque, vti
Deo, sapientissime res nostras dispensanti, visum, TIBI evenire
iubeo. Vale.

lenae d. XI Maii M D CC VII.

AS (o) 58


aO 30

94 A: 7347(1)



5b.

WMT



B.I.G.



Q. D. B. V.
ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΑΚΡΙΒΕΙΑΣ
IN
VITA CHRISTIANA
THESES PRACTICAE

QVAS
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. VVILHELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, AC MONTIVM,
ANGARIAE, VVESPHALIAEQVE, RELIQVA

PRAESIDE
IO. FRANCISCO BVDDEO

SS. THEOL. D. ET P. P.
ERVDITORVM EXAMINI
AD DIEM MAII. MD CC VII.
SVBMITTIT

SAMVEL RANSLEBEN

BEROLINENSIS.

I EN AE
TYPIS MULLERIANIS.